

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XIII. Qualiter des animam in moerore sustentat.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Tentator  
divinæ  
dulcedini  
timorem  
immiscet.

Timor per  
Dei gratiam  
in profectum  
animæ  
succedit.

molestare. Contigit itaque die quodam ut Deus suam gratiam eidem participasset, et magnum bonum animæ ejus fecisset; cum in ejus præsentia esset, affuit tentator, immittens cordi ejus timorem illum et tristitiam, quod donum illud non esset a Deo. Cum autem nimium fatigaretur, corruit ad pedes Domini Jesu, et conquerebatur infidelitatem cordis sui, dicens: « Ecce, Domine mi, hoc donum offero tibi ad æternam laudem et gloriam tuam, orans ut si donum hoc non est ex te, nunquam amplius detur mihi, quia omni dulcedine et consolatione propter te libentissime carebo. » Quam Dominus proprio vocans nomine ait: « Mi dilecta Mechtildis<sup>1</sup>, noli timere, ego juro tibi per virtutem meæ divinitatis, quod timor et tristitia hæc te non nocebunt, sed magis sanctificabunt, et ad gratiam meam te præparabunt. Et si hæc cordis tui gaudium non temperarent, cor tuum nimia dulcedinis affluentia dissolvi oporteret. Noli mirari, si te istæ cogitationes impugnant, cum sis in mea præsentia; quia et diabolus me tentabat, cum propter te penderem in cruce. »

### CAPUT XIII.

QUALITER DEUS ANIMAM IN MÆRORE SUSTENTAT.

**A**LIA vice, cum nimium esset turbata, ad Dominum confugit fidelissimum adjutorem. Continuo apparuit ei Christus quasi juvenulus speciosissimus, ducens eam ad

1. Codex Guelferbytanus solus hic nomen Mechtildis scriptum præbet, quod alii reticent, prima ipsius littera contenti.

altare: in quo agnovit quod Dominus prolocutor voluit esse ejus apud Patrem suum, pro negligentiis ejus et commissis. Dedit ei etiam baculum ad sustentandum, qui non habebat capitellum quo posset sustentari; baculus vero ille humanitatem Christi figurabat. Ancilla Christi mirabatur cur baculus capitello careret, et ait Dominus ad eam: « Ego volo manum meam ponere super illum, ut inde sustentaris; cum ergo solatium in mœrore dederò, scias quod in manu mea requiescis; sed cum non sentis consolationem, scias quia manum subtraxi, et tunc fideli corde mihi adhærebis. »

Dominus  
animæ  
mœrenti  
supponit  
manum.

## CAPUT XIV.

DE DESIDERIO QUOD HABUIT AD CONFESIONEM.

**D**IE quadam volens confiteri, sed confessorem non habens, multum contristabatur eo quod corpus Domini inconfessa sumere non auderet. Tunc in oratione cœpit in amaritudine conqueri Deo summo sacerdoti negligentias et culpas suas; qui dabat ei certitudinem de remissione omnium peccatorum; de quo gratias agens dixit ad Dominum: « O dulcissime Deus, quomodo nunc est circa peccata mea? » Qui respondit: « Sicut cum rex præpotens venturus est in aliquod hospitium, domus velociter mundatur ne aliquid ibi appareat quod oculus ejus offendat; sed cum tam prope sit quod immunditiæ non possint foras ejici, in angulum colliguntur, ut postmodum inde projiciantur: sic cum integram voluntatem et desiderium confitendi habes peccata, nec postmodum iterandi, omnia sic coram me delentur quod amplius eorum non recordabor; licet postmodum per confessionem

Confessarii  
defectus  
suppletur.